



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis Iesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Ipris Flandrorum, 1612**

13. Exacta eius mortificatio & in Deum caritas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45048**

## CAPVT. XIII.

*Exacta eius mortificatio & in Deum  
caritas.*

**Q**uid dicam comitas habuisse Passio  
num  
eius  
morti-  
ficatio. cupiditates? quid libidines & reliquos impetus animi non rectos? tanta pace mentisque tranquillitate fruebatur, vt nihil admodum eum turbare posse videretur. Erat ea constitutione corporis, vt bilis maximè dominaretur, tanta tamen in eo cernebatur comitas, affabilitasque sermonis, vt eum natura pituitosum & frigidum diceres. Sed eo quod in affectu vitiosum erat edomito, vim tamen in agendo vigoremque retinebat. Eundem tenorem semper in rebus gerendis habuit & perpetuitatem in omni vita seruauit. Licet enim valetudo corporis esset varia, semper tamen constans animus & æquabilis erat, nec inclinatio rerum aut temporis animi inclinationem afferebat. Atque hæc æquabilitas animi perpetuaque constantia in corpus etiam suo modo redundabat,  
vultum;

vultumque pro sua voluntate fingebat. Aliquando cum morbo laboraret, monuit medicus, ut omnium rerum imagines quæ tristitiam animo afferre possent, à cogitatione depelleret. Quocirca secum attentè cogitare coepit, num res tam atrox & acerba posset accidere, quæ se molestia afficeret, & à perpetua mentis pace & tranquillitate deiiceret. Hæc cogitanti & rerum naturam peregrinanti illud vnum occurrit; Si quo casu Societas dissolueretur. Quod si tamen hoc sine sua culpa eueniret, & quartam horæ partem in oratione poneret, pristinam animi quietem se recuperaturum sperabat, etiamsi vniuersa Societas tanquam sal aquâ colliquisset. Quantum ergò à se ipso auulsum, & Deo conglutinatum fuisse oportuit, cuius in re tam graui eiusque propria, tanta erat cum diuina voluntate consensio; indicium id sanè clarum & euidentis, vitiosam naturam penitus in Ignatio edomitam ac compressam fuisse.

Hac abdicatione voluntatis, hac animi moderatione & cognitione sui,  
ad cas

ad caritatis in Deum reliquarum virtutum reginæ ac dominæ perfectionem sibi fecerat gradum, quæ quidem nulla in re magis elucet, quàm in earum rerum varietate & copia, quas pro eius amore gessit ac pertulit. Verus enim amor nunquam est otiosus: nec satis ei est multis agendo frangi laboribus pro eo quem diligit, nisi & multa pati paratus sit sanguinemque profundere. Et quidem quantis laboribus hic se B. Pater exercuerit, quanta pro Dei honore gloriæque propagatione perpeffus sit, illud quodammodò ex iis quæ dicta sunt colligi potest. Sed idem tamen dicere solebat, huius inferioris mundi vniuersas in altera libræ lance positas, nullius apud se ponderis fore si in alteram imponerentur quas hauserat à Deo gratias in vexationibus, carceribus, catenis quas pro eius amore subierat, nec quidquam posse tantam in animo suo voluptatem gignere, quantam in tolerandis pro Deo rebus aduersis capiebat. Vnde cum quidam Pater ex eo quæreret, quænam esset breuior, certior

rior & securior querendæ perfectionis  
via, rerum multarum & grauium pro  
Dei amore perpersionem esse respon-  
dit. Roga Deum, inquit, vt idem tibi  
beneficium tribuat, nam in quem  
illud collocat, alia multa confert quæ  
in eodem includantur. Hoc rogabat,  
hoc adeptus erat, hoc docebat Ignaz-  
tius, vnde quanta in Deum fuerit cari-  
tate perspiciamus. Sed alia etiam nobis  
suppetunt argumenta maiora. Finis  
quippe quo omnes eius referebantur  
actiones & cogitationes, erat maior  
Dei gloria. Non enim illi satis erat, vt  
in eo quod agebat, non offenderetur  
Deus, nisi simul eius amplificaretur  
honor & gloria. Cumque de duobus  
bonis quæreretur, vtrum esset eligen-  
dum, semper illud præferabat, in quo  
maior cerneretur Dei gloria. Hic per-  
petuus illi scopus fuit, hoc omnibus  
in rebus vnum spectauit. Quare inter  
agendum cum Deo, hanc vocem ex  
intimo animi sensu frequentius pro-  
mebat. *Domine quid volo aut quid velle  
possum extra te?* Ad hæc tanto Dei vis-  
dendi amore flagrabat, atque ex hoc  
ergastulo

B. P. Ignatij.

37

ergastulo corporis euolandi, vt cum  
memoriam mortis repeteret, lacry-  
mas cohibere non posset, quæ ab ocu-  
lis animi gestientis alacritate manas-  
bant. Nec id ideo solum, vt sibi con-  
sequeretur supremum hoc beatitudi-  
nis bonum, sed etiam vt lucem sacra-  
tissimæ Christi humanitatis videret,  
cui sic intimè afficiebatur vt solet  
amicus, eius quem in corde & oculis  
gerit grata memoria delectari. Anno  
C. D. D. XL. I. mense Iulio me præsentem  
dixit, quòd si Deus alterum de his  
duobus eligendum proponeret, aut vt  
continuò de præsidio & statione vitæ  
decederet beatitudinem aditurus, aut  
in vita maneret an in virtute perseue-  
raret incertus, hoc secundum se po-  
tius alteri præpositurum, modo tamen  
certum & exploratum haberet, rem  
magnam, pro diuinæ illius maiestatis  
honore gesturum solius Dei non sui  
ratione habita, nec vlla vel sui pericu-  
li, vel securitatis cogitatione propo-  
sita. Cuius rei hanc afferebat ratio-  
nem: Rex, inquit, aut Princeps aliquis  
reperiatur in terris qui cuiuspiam è  
sua

sua familia officium, magnis beneficiis remunerare vellet, si ille hac Regis sui gratia vti nollet ad tempus, vt interea pro eo res magnas obiret, nonne Dominum non modò hanc serui remunerationem conseruare, sed etiam amplificare oporteret, cùm hic ea sese pro Domini sui commodo & vtilitate priuaret. Quòd si hoc homines faciunt, quanto magis à Deo sperare debeamus? aut quamobrem extimescamus, ne nos deserat, aut aditum nobis ad felicitatem occludi patiatur, quia beatitudinem distulimus & eo frui in eius gratiam prætermisimus? Persuadeat hoc, inquit, sibi qui volet, quod ad me attinet, nunquam in animum inducam, vt hoc de Deo optimo & Rege maximo, & susceptorum pro se laborum memori cogitem. Aliàs in eam cogitationem venit, quonam modo affectus esset, si ad inferos impiorum & sceleratorum regionem à Deo deturbaretur, eiusque rei sententiam suam retulit: sic enim est in eo libello quem scripsit ipse: Duo mihi proponebam, quorum alterum erat  
supplis

supplicium illud incendij quo flagra-  
rem, alterum contumeliæ & conuitia  
quibus impij Deum insectantur. Ad  
primum quod attinet ne poenam qui-  
dem eam arbitrabat, siquidem occur-  
rebat aliud multo maius cruciame-  
tum cùm audirem sceleratos in san-  
ctissimum Dei nomen maledicta  
iactantes. Atque hæc est illius oratio.  
Quantus ego Dei amor in illo arde-  
bat qui erga eum sic erat affectus?  
quanta flamma caritatis illud pectus  
incendebat cùm nec illa apud inferos  
torrentis incendij flumina illam pos-  
sent extinguere, aut efficere vt vllum  
cruciatum sentiret in poenis, sed iniu-  
riam solùm & offensionem delecti sui?

## CAPVT. XIII.

*Amor Ignacij benignitasque in  
proximum.*

**D**E hoc flagranti Dei amore succ-  
cendebantur faces amoris in Carita-  
proximos, propterea quòd illos in tas  
Deo, & in illis Deum consideraret. eius in  
Vnde dicebat, si ad animorum salu- mos.  
tem